



**Tabvlæ Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ  
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Tertia Navfragii Tabvla: Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ Blattarvm  
inclementiam euasere, de Festis

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1615**

In festo Visitationis B. Mariæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56152)

IN FESTO VISITATIONIS B.  
 Mariæ, 2. Julij 1614. in Parœciâ S. Dionysij  
 in Brocqueroia, primo ab vrbe Mon-  
 tensi lapide, audiente loci Ab-  
 bate, & Monachis eius  
 plerisque multis è  
 pergula:

*Thema. Intrauit Maria in domum Zachariae, & salutauit Elisabeth. Luc. 1.*

**F**Estiuitas hodierna vâriâ de varijs Virginitatis  
 Mariæ virtutibus dicenda suggerit;

Ut de eius {

1. Modestia, seu humilitate ingenti,
2. Charitate,
3. Pudicitia,
4. Potentia,
5. Urbanitate.

\* 1. Modestia &c. Vt quæ prior venerit ad Elisabetham, maior scilicet ad minorem, & prior salutarit; sed & studio seruiendi venerit; denique prodita iam diuinitus, & commemorata coram sua gloria, nihilominus modestissimè adhuc desit loquuta in suo Canticò.

Erat certè virgo Maria generis splendore maximè illustris, vtpotè ex progenie Abrahamæ & Dauidis &c. atavis edita Regibus vt Matthæus refert c. 1.

Erat virtutibus nobilissima, quæ demùm vera nobis

nobilitas est, ac virginitate maximè, tunc virgo verè singularis.

Sed tum nobilitata maximè fuit, cum Deus ipse legationem de Incarnatione filij sui, re omnium maximâ, ad eam misit.

Facere illi animos ista poterant, vt dicere posset illud Niobes numerosa prole superbientis:

*Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo:*

*Sum maior, quàm cui possit fortuna nocere. Ouid. lib. 6. Metam.*

Fortunæ filia videri sibi poterat, & alumna.

Despicere quemque ex alto poterat, & dicere: cur eat maior ad minorem? mater Dei ad matrem homunculi, præconis tantum & præcursoris futuri?

*Prou. Honores mutant mores scilicet, ac raro in meliores.*

*Ingenium res Aduersæ celare solent, nudare secunda. Horat. lib. 2. serm. Sat. 8. mutatus tamen.*

Illa verò tanto humilior inde effecta est.

*Ecce ancilla Domini,* aiebat tum Angelo.

At hodiè etiàm fit ancilla ancillæ Domini; ancillatura seruis suis procedit.

*Decet enim, vt quo castior virgo, eò sit humilior, & senioribus deferens habitum castitatis præconio commendet humilitatis. Beda lib. 1. in Luc. 1. cap. 1. exposit. in medio.*

Humilitas virginitatis ornamentum & corona.

\* 2. *Charitate.* Nam studio succurrendi Elisabethæ,

bethæ, læta solitudinis & vitæ suæ contemplatiuæ  
otia deserit.

Succurrendi, inquam, ægræ & *1. Senectute;*  
miseræ à duplici causa *2. Impregnatione.*

\* *j. Senectute.* Senectus enim ipsa per se morbus  
est.

Imò *ara malorum*, & morborum omnium re-  
ceptaculum, & quoddam quasi xenodochium.

\* *ij. Impregnatione*, quam multa circumueni-  
unt incommoda, fastidia, appetitus inordinati, se-  
pè etiàm rerum horridarum, grauedines capitis,  
dolores parturientis, subsultationes paruulorum  
in uteris matrum, vt in Rebecca, & hic in Elisabe-  
tha; visa, somnia de prolis nascituræ fortibus pro-  
speris, aduersis, vt in Paride, Alexandro, Dominico,  
&c.

Ad eò, vt senes & prægnantes, quærentibus  
valeant, semper respondere possint, ac quidem ve-  
rè: *Malè se valere, imò nec à morte procul abesse, alio-  
rog, iam pede in cymbâ Charontis esse.*

Senes enim ætas è medio tollit, prægnantes  
partûs dolor non infrequenter.

Ergò Elisabethæ cognatæ suæ bis ægræ, Maria  
se Elisabetham alteram illam Regis Hungariæ fi-  
liam, Lantgrauij Turingiæ sponsam, in leprosos  
& morbidos quosuis officiosissimam fœminam,  
ex Tertiariorum D. Francisci ordine exhibuit; i-  
pitiq; Elisabethæ iam tum ægris ancillandi exem-  
plum dedit, & præiuit. *Vide Off. Ord. Minorum 19.  
Nouembr. in fine Brevi Rom.*

*Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci,  
etiam & vos faciatis.*

Iam tùm ostendebat, se verè esse ac semper fo-  
re Matrem misericordiæ.

\* 3. *Pudicitia*, cuius studio, salutavit Elisabeth mulier mulierem tantùm, non etiam virum Zachariam fortassè; item ambulavit *cum festinatione*, & quidem *per montana ad montana*: occurrationes, & mutuum videre & videri metuens; contrario multis more, quæ *spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsa*. Quid. lib. de arte.

*Amant salutationes in foro*, deductiones à viris, incessus cum viris, & à viris sustentationes, quasi agræ, aut alioqui debiles, & adhuc ambulare discentes, ne furiosis similes dicam, quas sic teneri oporteat.

\* 4. *Potentia*; vt quæ tot miracula circa puerulum, circa matrem, circa patrem eius vnica salutationiunculæ suæ voce derepentè edidicit. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*. Luc. I.

\* 5. *Vrbanitate*, vt quæ salutarit Elisabetham officiosissimè, verbis haud dubiè; & verisimiliter signis quoque.

Quo modo enim non urbanissima, quæ Regibus orta esset, & optimè educata?

Hæc & alia sexcenta hodiè tractanda sese ingerunt, peneque ostentant.

Sed quia omnia simul tractari vetat horulæ angustia, & (vt nostrate proverbio dicitur) *qui nimis multa amplectitur, malè stringit*, id est, *qui duos insectatur lepores, neutrum capit*; omissis nunc plerisque omnibus reliquis, vnum attingã dumtaxat, nempe urbanitatem Mariæ, & salutandi officium,  
argu-

argumentum mihi, vobisque etiã (opinor) nouum, neque aliàs sæpè tractatum, vobisque, vt ruri agentibus, qui homines ferè rusticitatis solent accusari, non incongruum, ad rusticitatem illam, si qua est, corrigendam.

Sed nec otiosum hoc argumentum, quandoquidem nec Euangelista noster timuit hic minutus videri, narrans virginem salutasse, quã fortè particulam, quiuis alius historicus, magis serius videri volens, omisisset.

Tùm; quia Elisabethæ confessione, tam salutaris fuit ista salutatio: *Vt facta est (inquit) vox salut. tua &c.*

Dicendum ergo hodiè mihi	{	1. <i>Salutandi studium decere Christianos, etsi Euangelio videatur repugnare;</i>
		2. <i>Quomodo, &amp; quibus verbis salutandus quisque,</i>
		3. <i>Vt differant salutationes Mariarum nostris; &amp; quã sint potentes.</i>
		A V E.

## I.

*Salutandi studium decere Christianos, etsi Euangelio videatur repugnare.*

Etsi habet & Scythia Anacharsides suos; & ruri nati sæpè sunt vrbaniissimi; vt contrã, sunt læpè in aulã nati tam inurbani, vt in caula natos putes; tamen itã comparatum est, vt rustici ferè inurbanitatis accusentur; vndè & rusticitas pro ruditate, & morum bonorum negligentia; vt contrã vrbinitas ac ciuilitas, pro humanitatis ac morum cultiorum

riorum studio, ferè vsurpantur.

Itaque vobis tantò auidius hæc lectio & Con-  
cio de Mariæ vrbanitate ac salutatione, audienda,  
& visitanda & salutationes vsurpandæ. Officium  
est, ac debitum commune omnium in omnes.

1. Pet. 5. *Salutate inuicem in osculo pacis.*

1. Cor. 16. *Salutate omnes fratres in osculo san-  
cto.*

Scitissimè olim dictum, *Saluta libenter, ἀσπύ-  
ζος ἀσπάζεσθαι* in libello qui Cato inscribitur. *Saluta*  
(inquam) verbo, vel signo, saltem.

Erasmus lib. de Ciuilitate morum, sub finem,  
tit. de Congressibus, *Si quis occurrerit in via vel se-  
no venerandus, vel Religione reuerendus, vel Dignit a-  
te grauis, vel alioqui dignus honore; meminerit puer de  
via decedere, reuerenter aperire caput, nonnihil etiã  
flexis poplitibus,*

*Humanitas* (dicebat Plato) tribus modis exerce-  
tur in vitã ciuili: Vno modo, per salutationem, vt cum  
obuios salutamus, & manum porrigimus. Secundo, cum  
quis opem affert alicui calamitatibus laboranti. Tertio,  
cum homines inter se conuiuia celebrant, & epulari  
accubatione se refouent, atq; ciuilitate se oblectant.

Plaut. in Capt. *Omnium primum salutem dicit  
Patri & Matri.*

Eccl 22. *Amicum salutare non confundaris.*

Salutandi officium per frequens olim Romæ,  
& multum eius studium.

Q. Cic. de petitione Consulatus. *Deductorum  
officium, quod maius est, quàm saluatorum.*

Cic. lib. 2. ad Atticum. *Hinc plausus maximi, con-  
salutatio forensis per honorifica.*

Idem

Idem lib. 2. de Oratore. *Qui cum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissimè consalutassent.*

Urbanitatis est salutare non solum obuios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi, ut hic B. Virgo fecit, sed etiam Oscitantes, Singultientes, Sternutantes, Tussientes, Cœnantes, & quiduis operis agentes, hac vocula *Profit*, aut æqui pollenti.

\* *Conciliat* ea comitas & affabilitas multorum beneuolentiam, & alit partam. *Hæc res coniungit, iunctos & seruat amicos.* Horat. lib. 1. Sat. 3.

\* *Item*; inimicitiam diluit.

\* *Item*; testis est internæ beneuolentiæ in salutatum, Nemo enim benè precatur ei, quem intus oderit.

*Quem quisque odit, perisse expetit.*

\* *Testis* quoq; est internæ humilitatis, dū honore inuicem præuenimus, hortatu Pauli ad Rom.

Est autem maximè Christianorum nulli male uelle, omnes conciliare, conciliatos fouere. Ergo, & libenter salutare.

\* *Quin etiam* lucrosum est officij genus, quæ scilicet facit haberi salutatorem non minorem, sed ciuiliorem, ac meliùs educatum.

Sed inquis: contrà stare videtur illud Christi, Luc. 10. *Neminem per viam salutaueritis.*

Et præceptum Elisæi ad suum Giezi, totidem verbis expressum, cum eum misit ad Sunami idè, ut filium eius suscitaret. 4. Reg. 4.

2. Ioan. 1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum, nec* AVB



ei dixeritis.

Item; quòd Christus damnet in Pharisæis, quòd ament salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Matth. 23.

His se ferè malè vel nati, vel potiùs malè educati Demæ, & agrestes homines, qui vix salutati resalutant; tuentur, aut tueri posse videantur.

\* Respondetur, D. Augustini regulam esse, quotiescumque Christus videtur præcipere contraria legi Naturæ, & probis moribus, metaphoricè ac parabolicè intelligendum esse.

Sed cum vetat simpliciter salutationes. loquitur contraria naturæ & probis moribus Ergò.

Prohibet ergò, discipulos ijs confabulationibus, & consalutationibus vacare, quæ negotium & cursum prædicationis Euangelij possint remorari. Iubet tolli moras.

Non displicet Christo, homini ex tot Regibus oriùdo & vrbanißimo, vrbانيتatis moderatæ, humanitatis & beneuolentiæ officia, sed persequendæ deuotionis impedimenta, & quasi remoræ quædã.

Estque illud Christi ad discipulos, & Elitæ ad suum Ciezi, *neminem per viam salutaueritis*, ac si diceret: rectà abite, festinate, nulquam otiosè moramini, quo ferè modo solemus liberos, seruuolos, & ancillas admonere, cum eos aliquò eminentes, vehementer res accelerare iubemus, dicimus vt neminem alloquantur, cum nemine garriant &c.

Salutationibus eos tempus consumere non vult.

\* Item; Gregorij Nazianzeni sensu, id mandauit eis

eis Dominus ad verbi gloriam, ne videretur in eis magis vrgere blanditias. Ne qui ad fidem conuerteretur, capti aut illecti viderentur magis vrbantate ipsorum, & salutationum comitate, quàm prædicationis veritate,

\* *Denique*; voluit non esse sollicitos negotiorum & rumorum seculi, non rerum nouarum magnos aucupes, vt ferè sunt magni salutatores. *Attica ingenia.*

In Pharisæis autem damnat salutationum studium, per ambitum, & fastum.

Apostolus verò Ioannes damnat eas salutationes, quæ sint arctæ amicitia, & communionis signa cum hæreticis, non illas communis humanitatis.

Ità rem habere indicant alia Christi ipsius dicta & facta.

\* 1. *Dicta*, cùm salutandi formulam hanc præscripsit, *Pax huic domui.*

\* 2. *Facta*, cùm mulieres salutauit, ipso Resurrectionis die, dicens, *auete*, & Discipulos, eodem die: & iterum post dies octo, dicens: *Pax vobis.*

Et denique ipsum hodiernum Mariæ factum, cùm salutauit *Elizabeth.*

Non vult ergò Dominus Iesus, suos feros esse, & rusticos.

Non ipsis feris efferatiores, aut bestiis bestialiores.

Certè vitulos marinos, animalia valdè disciplinabilia, ferūt solere voce & vultu homines salutare.

Elephantos, Reges agnoscere, & summa reuerentia

rentia honorare. Psittacis nihil tam familiare, quàm salutare, & suum *καίσε* Cæsaribus, imò & lignorum quoque cæsaribus inculcare,

I I.

Quomodo, & quibus verbis salutandus quisque.

Accedendo, ac recedendo consalutandus vni quisque.

At quibus formulis? Dicam.

Cùm salutandi verbum à salute deriuetur, salus dicenda; precanda, & optanda omnia, quæ ad salutem tam corporis, quàm animæ faciunt: deprecanda verò omnia, quæ aduersantur.

Benè precari salutationis genus est, vt: *Deus benedicat tibi. Et: Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Psal. *Custodiat animam tuam Dominus.*

Veteres ferè salutabant per *salue*, id est, saluus sis, & *Vale*.

Exempla apud Comicos frequentia.

*Saluus sis, Crito.*

*Saluum te aduenisse gaudeo.* Terent. in Phorm.

*Iubeo te saluere.*

*Vive, Vale.* Horat. lib. 1. epp. ep. 6.

*Vrbis amatorem Fuscum, saluere iubemus.* Idem lib. 1. ep. 10.

Cicero coniungit etiàm *Vale*, & *Salue*, cùm scribit ad familiares; ex quo discemus, *Salue* nostrum, non solum vocabulum esse, quo se salutant ac re salutant congregientes, aut occurrentes: sed etiàm quo olim absentes salutabant Romani, more

F genti

genti suæ ferè proprio.

2. Reg. 20. Dixit Ioab ad Amasam: *Salve mihi frater*, sed dolosè.

Christus Dominus ità suos salutare voluit: *quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.* Luc. 10.

D. Franciscus in testamento suo: *Salutatem nem mihi Dominus reuelauit, vt diceremus; Dominus det tibi pacem.*

Et ad Apostolos *clausis ianuis ingressus*, dixit idem Christus; *Pax vobis*, iterumque, iterumque.

Pontifices Catholici ità populos salutant *diu Sacris operantur.*

In literis verò sic: *salutem & Apostolicam benedictionem*, quam formam à Cleto Romano Pontifice primùm volunt vsurpatam.

Nunc omnibus in more est, in congressibus familiares inter se salutare, his verbis: *Bona vespere, Bonus dies, Bonus vesper: Deus te custodiat*, aut istiusmodi alijs, non improbandis.

*Benè sit tibi, vir optimè.*

*Pax tibi frater*, Christiana salutatio est, iam olim à Iudæis profecta.

Turcæ, Persæ, & Arabes, ferè Christi formam se consalutant: (credo) quia edocti olim à Mahomete anteà Christiano, & à Sergio nescio quo Monacho etiàm desertore;

(*Baba*) id est *Pater*; vel (*Ana*) id est, *mater* & sicque resalutant: (*Alechmi Sellam Rahmatuallah*) id est, *Et tibi quoque Pacem donet misericordia Dei*

Deus (*Berechjat theudigum*) & benedictionem amice mi.

*Barptolomæus Georgienich Hungarus lib. de Turcarum moribus c. 4.*

Anacharsidis Schythæ epistola fertur his verbis: *Anacharsis Hannoni salutem. Cic. lib 5. Tusc.*

Hoc ipsum est, quod Hebræi benedicendi verbo appellant.

*Psal. Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.*

Benedictio est dicere: *Dominus tecum, virorum fortissime.*

Hebræi cõsalutantes dicebant, *SALOM ELECH*, admota pectori dextra. *F. Ioannes Dubliulus Francisc. lib. 4. Hodæporici sui ieros.*

Deprecantium autem mala sunt istæ formulæ. *Aue*, id est (quorundam sentio) esto sine omni vâ. *Aue, gratia plena.*

*ave Rabbi. Matth. 26. vox Iudæ.*

Quamvis reuera auere, cupere significat, estq; dicere aue, ac si dicas, opta quod vis, & per me habe

Deprecantis malum est; *Dominus custodiat te ab omni malo. Psa<sup>1</sup>.*

Ad formulas tamen Christi quam fieri potest proximè accedendum est.

Nemo enim melior salutandi artifex, quàm Saluator ipse, & salus ipsa.

Qua autem formula hic vsa sit Maria, haud satis scio.

Vsam tamen primū profundâ corporis inflexione quis dubitet, nisi qui Regibus natam nesciat?

Addidisse quoque verba quædam certum est, ex illis verbis: *Et factum est, ut audiuit salutationem Mariae Elisabeth; & ex istis; ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis &c.* Luc. 1. sed Euangelista ea verba non exprimit,

Velim factum, ut haberent mulierculæ à tantâ autore dignam se consalutandi formulam.

Crediderim usam voce (*Aue*) ut quàm recentissimè ab Angelo didicisset, & crederet optimam vel usitatissimam illa veteribus, (*Dominus tecum*) ut istis (*Deus benedicat tibi:*) ut potè aptissimis, ad omnia illa in filio & matre operanda, quæ mox dicemus.

Si (ut ait Augustinus) prius beata Virgini factus *Christus Magister, quàm Filius;* potuit ab Filio prædocta dixisse etiàm; *Pax huic domui,* aut similiber.

Forssitan quoque gratulata est serâ prolem, per miraculum; & adiecit; *Faxit quoque Deus, feliciter parias!* ut maritum facias pulchrâ proparentem!

Virum Sanctum parere possis, Reip. scipionum hæredem Cæli!

Et velint Superi, ut nullo dolore parias!

Ut miraculo concepisti, ita etiàm miraculo parere possis!

Felix faustumque sit, quidquid diuinitus inceptum est! &c.

Deindè; *Aspicit infantem totoque salutifer orbi*

*Cresce puer, dixit, tibi se mortalia sæpè*

*Corpora debebunt.* Ouid. l. b. 2. Metam.

Et qualia grauidis & prægnantibus gratissimè optat

optare omnes solent, mulieres maximè.

Et haud dubiè, adiecit cognationis nomen, ac fortè & ætatis grandæuæ, non tantùm Cognatã, sed & matrem eam appellans, & Altricem, beneficia illa vetera spectans, quibus ab ea affectata fuerat, postquam præsentata templo, orphana iam facta esset.

Ferunt enim tunc Mariam ab Elisabetha egregiè adiutam.

Cedrenus ait Mariam vñdecimo ætatis anno parentes amisisse, templo non excessisse, si qua re indigeret, ad solam Elisabetham cognatam & templo vicinam adiisse.

Pulcrè enim monet Horatius : *frater, Pater, adde,*

*Vt cuique est ætas, ita quemq; facetus adopta.* li. i. epp. ep. 6.

Et sanctè alius vir sanè Magnus, in damnatæ tamen lectionis libro: *Urbanum est addere Cognationis, aut Affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odij.* Tum enim præstat ab utriusque quidem proprijs, sed plausibilibus, veluti cum Nouercã salutamus Matrem; Pr uignum, Filium: Vitricum, Patrem: Sororis maritum, Fratrem; fratris uxorem, Sororem.

Idem in A Et atis aut Officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem, patrem, aut virum eximum salutes, quàm ætatis cognomine; etiamsi olim honoris causa dicebatur *Ϟ̄ γ̄ ϩ̄ ϩ̄ ϩ̄*. Salue Præfecte, salue Tribune. Non tamen salue Calgarie, aut Calcearie. Salue adolescens, salue iuuenis.

Senes, ignotos adolescentulos filiorum cognomento salutant; adolescentes vicissim illos, Patres aut Dominos.

*Ipse memor praecepta cano, celabitur auctor.* Horat. lib. 2. ser. Sat. 3.

Quidam tam inurbanè urbanitatem hanc salutandi exercent, vt salutati dicere nonnunquam possint, *Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ aduenit: vel isthuc: Equidem egrotare malim, quam tua salute saluere.*

Bonum enim non fatis est agere, etiàm bene præstandum est.

Salutatione ergò regiae virginis Mariæ nihil ordinatius, nihil moratius, nihil iucundius: & iam iam videbimus, nihil efficacius aut vtilius.

I I I.

*Vt differant salutationes Mariæ à nostris, & quàm sint potentes.*

Quantum autem distat Roma à Seruiâ, aut Colum à terra, tantum differunt salutationes Mariæ à nostris.

Differunt enim 

}	1. Origine,
}	2. Fine,
}	3. Affectu,
}	4. Effectu.

\* 1. *Origine.* Necessitas enim sæpè nobis nostram extundit, non Charitas, aut Urbanitas.

\* 2. *Fine,* seu intentione. Salutationibus enim nonnunquam utimur, vt plagis venatores, prædæ captantes scilicet.

Salutationes ple- 

}	1. Ambitionis,
}	2. Mendacitatis,
}	3. Necessitatis.

 ræque nostræ sunt

\* 3. *Ambitionis;* salutamus enim eos, quorum multa est potètia atq; autoritas, vt ipsi hoc officio no-



Pro illecti nos promoueat, ad officia, beneficia & c  
Seruimus, & ancillamur tantisper vni, vt mul-  
tis & diu dominemur.

Deus bone! quã magna Salutatorum & Dedu-  
ctorum eiusmodi seges est in Curijs Profanis, Sa-  
crisq̃ue! In Comitijs! In electionibus!

Videas quotidie manè, primo vix diluculo, ad  
potentum ianuas conuenire & confluere ambi-  
tiosam illam salutatorum turbam.

Item; est qui seruos vix tres triobolares domi  
proprios habeat, & quos vix benè raphanis pulti-  
bus, siliquis & pane secundo alere possit, qui tamè  
cũ domo in Curiã, in Forũ, in Tẽplum procedit,  
aut indè domũ redit tã multis salutatorib⁹ ac de-  
ductoribus stipatus incedit quã Luna stellis.

Centurionem dicas ducentem exercitum.

Vndè hoc? quoniam salutationibus & deductio-  
nibus eiusmodi multi sperant, se ab illo promotũ  
iri. Itã seruiunt salutatores illi, vt regnèt: itã ancillã  
tur vni ad tempusculum, vt multis multum diu-  
que dominantur.

Amplectuntur patronos, & (vt sic vocẽ) creato-  
res suos, vt hederẽ quercum & columnam aut py-  
ramidem, ac dicunt: *Testante virẽbo.* Vide sym-  
bola Heroica M. Claudij Paradini.

Maria aut vi. go hodiẽ nõ sic. Nil. n. ab Elisabethã  
sperauit illa, s̃õs ip̃a benedictionũ, & iã iã facta ho-  
minib⁹ cũctis altior, & exaltata sup choros angelorũ.

Hinc Elisabetha; Vndè hoc mihi, vt veniat mater  
Domini mei ad me? q. d. Vnde hæc scena rerũ tã in-  
uersa? Meũ fuerat ad te ire, te salutare, gratiam tuã  
sic ambire, Fauores tuos studiose captare.

\* ij. Mendicitatis, & captationis conuiuiorum  
&c. quod solent parasiti.

Eleganter vocantur eiusmodi salutatores, *ma-  
tio Chrestologiae studens. B.*

Galli vocant (*donneurs de bons iours, grands salu-  
teurs, ceru'eurs de repeu'e's franches, amys de fricasse-  
es, & de nappe mise, flatteurs, affronteurs.*) sunt qui  
Frustris, & pomis viduas venentur auaras,

Excipiantq; senes, quos in viuaria mittant. *Hori-  
lib. i. epp. ep. i.*

Canum similes, qui cauda dominis adludunt  
& voces quasi catulientium continuas edunt, in  
eos spectant oculis fixissimis, beneque spectatis  
lis, corpus agitant, spe ossis aut offae alicuius.

Alludunt Dominis, & alioribus suis futuris.

*Paulus Iouius lib. ii. historiarum* refert, canes Gal-  
lorum aliquando fugisse in castra hostium, acpe-  
des ipsorum linxisse seu lambisse, & existimatum  
fuisse, eo ipso portendi victoriam hostibus, atque  
ita contigisse. Gallos enim fusos prostratosque  
Maximiliano Sphortia fuisse.

Omnis generis officia canes praestabunt hero-  
vertent veru arinis ouillis & altilibus graue, in  
macellum excurrent ad ferendas carnes, humi ac-  
cubabunt, pileos de capitibus dominorum, cum se-  
dicent aestuare, detrahent, current totum diem in  
venationibus, duntaxat buccellam panis, aut ossa  
aut praedae captae intestina captantes.

Euandro Virgiliano procedente; *Nec non  
gemi custodes limine ab alto*

*Procedunt, gressumq; canes comitantur herilem.  
Sic surgentibus adsunt, prodeuntes salutant, de-*

ducunt, nihil non faciunt cibi causa salutatores quidam.

*Graculus esuriens, in caelum, iusseris, ibit.* Iuu. sat. 3.

*Præadam sequitur turba ista, non hominem.* Seneca.

Eiusmodi salutatores Psittacis etiam rectè comparés, quos fames docet dicere suum *ἄϊπε*.

Perfius lib. 1. Satyr. in prologo. *Quis expediuit  
psittaco suum ἄϊπε?*

*Coruos quis olim concavum salutarè,*

*Picasq; docuit nostra verba conari?*

*Magister artis, ingeniq; largitor*

*Venter, negatàs artifex sequi vocès.*

Maria verò nihil tale captavit assueta sobrietati, & ab Sacerdotibus, imò & ab Angelis ipsis hactenus in templo pasci; denique marito despòlata magno artificio, & (quod caput est) spontaneo ac diligenti, & ipsa nata parentibus tam opulentis, ut substantiam solerent tripartiri in Templum, in Pauperes, in alendam Familiam.

*Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet.*

Horat. lib. 1. epp. ep. 2.

*Serviet aeternum, qui parvo nesciet uti.*

Non salutat, non deducit non servit, non sordidè ancillatur, quisquis cum Curio novit vesci rapis, raphanis, & allijs, & cæteris eiusmodi.

*Dij tibi formam,*

*Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi.* Horat. lib. 1. ep. 3.

\* iij *Necessitatis.* Multæ, aut notæ censoriæ, aut etiam magni odij metu Tyrannos, & improbos dominos subditi & victi salutant, catellorū quoq; instar, qui heris baculo minantibus, semiflexis poplitibus repunt, ac tantum non humi procubunt, *ictum metuentes.*

Non

Non omnes Mardochei conſtantiam æquã,  
Amanẽ ſuperbũ ſalutatione nõ dignẽtur. *Lib. Eſth.*

*Iuenaſ. ſat. 3. lib. 1. libertas pauperis hæc eſt:*

*Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,  
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.*

*Quid. de Arte. Pauper amet cautẽ:*

*Multaq; diuitibus non patiendã ſerat.*

Conclamant ſæpẽ aliqui, *Vivat Rex*, quem lo-  
tũs periffe expetunt.

Nullus autem metus ſalutationem iſtam Ma-  
riæ extorſit.

*Maiores erant, quàm cui poſſet fortuna nocere. Quid.*  
*lib. Metamorph.*

*Pſal. Deus in medio eius non commouebitur.*

*Pſal. 22. Non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

*Cæſarem & Deum Deorum vehebat.*

*Libera fuit & ſpontanea hæc eius ſalutatio.*

*Tota amoris Amicitia fuit, tota Vrbanitati  
tota ſinceræ Charitatis.*

\* 2. *Affectu.* Plæræque noſtræ ſalutationes  
æ, coactæ, vel more, vel timore (vt nũc aiebam.)

Quàm multi nũc Sacerdotes, aut Monachi  
ſalutant, ſed more maiorum tantũ, aut timore  
Iudicium, ne notam Hæreſios incurrant!

Plæræque etiã ſalutationes noſtræ fraudu-  
lentæ, inſidioſæ, & proditoria.

Talis ſalutator Ioab, cùm ſic Amasam ſaluta-  
uit, *Salue mi frater*, & ſicã mox occidit. *2. Reg. 20.*

Talis Iudas, dicens Chriſto: *Aue Rabbi*, cui cruce-  
cem parabat.

*Pſal. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala  
autem in cordibus eorum.*

*Mel in ore, fel in corde. prou.*

In Maria verò nihil subdolum; candida, sincera omnia. Oris, Operis, Cordis nulla fuit in ipsa cacophonia.

\* 3. *Effectu*, Nostræ enim salutationes steriles, nil nisi vota sunt & preces de futuris, & gratulationes de præteritis, Conferre quid possumus?

Cùm salutamus, nil nisi salutem præsentem gratulamur, aut optamus absentem: aliquam dare non possumus. *Salue*, aut *saluus sis*, dicimus, saluare autem aut seruare non possumus.

Miror receptum vsum ità loquendi, *impertior tibi salutem*, cùm nullam salutis partem vlli dare possimus, nisi fortè quàm medicinam callemus.

*Ipsa si cupiat salus* (ore nostro dicta) *seruare prorsus non potest hanc familiam*. Terent. in Adelph.

*Nemo dat alteri quod non habet.*

Hinc pulchrè quispiam:

*Hanc tuus è Getico mittit tibi Naso salutem,*

*Mittere si quisquam, quo caret, ipse potest.* Ouid. lib. 5. Tristium, eleg. 14.

Verum quidem est, vt neque omnes diræ & imprecationes miserorù, in oppressores, aut quomodocunque nocentes iactæ, euanescent, aut irritæ sunt, nec semper in vacuas auras ac syluas abeunt (vt vulgò dicimus) sed nonnunquam in capita nocentium cadunt & feriunt; sic nec nostræ preces & vota salutis pro bonis viris conceptæ a deò omnes inanes, vt nullè vnquàm effectum sortiantur; sed tamen reuerà ac propriè nullam salutem salutatores salutationibus suis conferre ijs possunt, quos salutant.

*Neque*

*Neq, qui plantat, neque qui salutat est aliquis, sed qui incrementum dat, & seruat, Deus.*

At Maria virgo non frustra salutauit. Salu-  
tem, quam nunciauit, salutando dedit, & verbi  
maiolem.

Quia plena salute tunc fuit, & saluatore iam  
iam concepto, ideo tota salutabunda, & salutatrix.  
Quia salutifera, ideo salutatrix fuit, & salutifera  
salutaris, salubris, consolatoria &c.

Ferrum, quod igne concepto iam canduit, vim  
habet vrendi ferè cum igne parem.

Et annulus, quem magnes adtigit, vim adtra-  
ctiuam etiam concipit, & annulum alium ad se tra-  
hit.

Vt stella Iouis coniuncta cum Luna, ad ortus  
puerorum creditur salutaris, sic Maria impregna-  
ta iam, & Filio Dei coniuncta, mirè hic Matri na-  
toque salutifera.

Vt olim SALVS, Dea salutis credita est, vnde  
*salutaris porta* Romæ adpellata, ab eius Deæ æde  
quæ ei proxima fuit; sic & Virgo hæc Salus ho-  
stra, & salutis ministra efficacissima.

Salutat foris mater, saluat intus Filius. Ità feruit  
Regem Gallorum, cum priuilegio quodam diui-  
no strumosos manu tangit, vt strumis eos liberet,  
tangendo pronuntiare hanc quasi formam Cura-  
tionis, *Rex te tangit, Deus te curat aut sanat.*

Elisabethæ matri propinatur poculum, salu-  
bre & salutare futurum filio: Maria ore propinat,  
Elisabetha bibit & auribus haurit, Christus filio-  
lus è ventre vim confert salutarem, Baptistam in  
ventre curatur.

Salutatio Mariæ  
salutaris

- 1. Matri,
- 2. Filio,
- 3. Patri;
- 4. Familia toti.

\* i. Mariæ variè

- 1. Implendo Spiritu-san-cto;
- 2. Prophetissam creando.
- 3. Fortè & rædia, & dolores parientis mitigando. Exultavit in gaudio infans in utero meo &c.

- 1. Præteritis,
- 2. Præsentibus,
- 3. Futuris. Bedæ Greg. hom. 1. in Ezech. 5.

De quibus vide Latius primâ parte tabularum Naufragij serm. de Visitat. parte 2. pag. 94. 95. 96. & seq.

\* ii. Filio et-iam variè

- 1. Purgando ab originali,
- 2. Sanctificando,
- 3. Rationis usum accelerando. Vide comment. Maldonati hic.
- 4. Spiritu Prophetiæ implendo. Exultat iam tum coram arca Dei & Deo ipso, ut David. 2. Reg 6. Iob. *Quis dedit gallo intelligentiam?*
- 5. Ordinem rerum mutando. Alij enim à fletu vitam ordiuntur; hic ab exultatione.
- 6. Confirmando, & constantiam fidei & sanctitatis perpetuam conferendo.

Effecit salutatio Mariæ, ut Ioannes, qui in vtero vultu erat aduerso humeris matris suo instar cætero-

cæterorum, de repente se conuerteret ad eius vultum, vt commodiùs dominum suum spectaret, adoraret, illamq; ipsam, quæ tam sanctum onustero gerebat, &c.

\* 3. Patri dupliciter { 1. Inflammando casto amore sui, ac Deo  
qua incarnatum iam gerebat;  
2. Pleniùs docendo domestica, & sua  
mysteria.

Origenes hom. 10. in Luc. Mansit Maria cum Elisabeth mensibus tribus, vt per ineffabilem quandã virtutem, nõ solũ Ioannem, sed etiã Zachariam profectus saluator instrueret. Paulatim quippè & hic per tres menses Spiritus S. augmenta capiebat, & cum nescio quibus erudiebatur, & de Christo prophetauit, &c.

\* 4. Familia toti. Vide primam Naufr. tabul.  
Dedit voci suæ vocem virtutis.

Psal. Vox Domini, & Dominæ in magnificentia.

Vt voce sua Christus prostrauit in horto turban, & Romanam etiã militiam; ita Virgo suam quoq; strauit Satanam, qui iam tum Baptistæ dominabatur, peccati originalis ad spectu.

Vt ad tubarum Sacerdotalium sonos, muri Hierichuntini olim corruerunt; sic nunc ad vnã Mariæ vocem vis Satanæ.

Vt quondam Arionis citharcedi cantu illectus Delphinus ingens aduenisse ex imo mari dicitur, seq; ipsi infidendum, & quasi equitandum prebuisse, dum pericula nautarum insidiantium euaderet; sic ad suauem vocem Mariæ Spiritus S. periclitanti in vteri materni profundo Baptiste adfuit, è peccato orig. eduxit & sanctificauit.

Solis accessus non tam beat terram, ac foecundat



dat, quàm eos ipsos ad quos venit, Maria benè fortunat.

Vt Proserpina ad Superos redeunte, semestri toto rident prata & segetes, &c. ità beantur cuncta Maria accedente & fauente

Vt Phutiphar experimento didicit, præsentia ac seruitium Iosephi sibi mirè profuisse, opesque auxisse; *Genes. 39.*

Vt Laban, Iacobi nepotis cohabitatione, locupletior factus est atque beator; *Genes. 31.*

Vt domum Obed-edomi beavit Arcæ trimestris præsentia. (*2. Reg. 6.*) sic totam Zachariæ domū visitatio ista Mariæ & mora trimestris.

Vt coràm arca Dei cecidit iterumq; iterumq; Dagō in terram, vel in templo suo; sic coràm Maria discessit Satanas ex Baptista, ac ruit.

*Hodie salus huic domui facta est. Luc. 19.*

Et hæ quidem primitiæ miraculorum & benedictionum Mariæ in Cariatharbe, id est, vrbe quatuor, seu Hebron, vbi Adam sepultus; quò à Nazareth ferè tridui est iter; vt initium signorum fecit Iesus in Cana Galileæ. *Ioan. 2.*

Primitiæ signorū eius in grauidā, & senē, itaq; egerrimā; in paruulū nondū natū; in senē & mutū. Benè sperate grauidæ, senes, egri, & miseri omnes.

O vocē auribus nostris expetendā, vocē Mariæ! *Cant. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & potentissima.*

Audiat sæpè *Vox turturis* huius in terra nostra.

O expetendam tam salutiferæ hospitæ præsentiam. ijs, quos hæc vrget luxus, hæc canis angit. *Horat. lib. 2. ser. sat. 2.*

Quis

Quis nobis adducat ex domo Obed-edom  
cam istam, vt nos pariter beet!

Possumus ipsi, si volumus, ad nos adduce  
Auditores.

*Licet, si libet, ab ea saluari, & saluere.*

Salutemus tantum Mariam, & resalutabit,

*Vt salutabis, ita resalutaberis, ait ille.*

Si mirtamus ad Mariam crebras salutes, ro  
rijs quotidie semel & iterum recitandis, aut An  
tiphonis illis pijs, *Salue Regina &c. Ave Regina Ce  
lorum &c. Ave maris stella &c.* & similibus, ma  
naque religione & ardore, etiam ipsa salutes a  
nos remittet optatos Animæ, Corporis, Familie  
Vrbis, Patriæ &c. *te scilicet omnis in vnâ (post Deum)*

*Nostra salus posita est.* Ouid. lib. 3. Metamorph.

Vrbanissima est, & (vt vidistis) salutandi libe  
ralissima, nata scilicet maioribus ciuilibus, Re  
gibus scilicet & Ducibus.

Nata scilicet est Dauide & cæteris Regibus  
qui natura clementes fuisse leguntur. Resalutabit  
ergo perfectò.

Si nemo adeò ferus est, vt si salutare primu  
pigeat, non saltem salutantem resalutet, resaluta  
tura saltem est perfectò suos salutatores virgo  
natura & cultu vrbanissima, ac suauissima. Resa  
lutatura, inquam, sed & saluatura, aut si mauis, ser  
uatura, salutis dicendæ & conferendæ æquè pro  
diga.

Deus bone! vt D. Bernardinum Franciscanum  
illum Obs. nostræ auctorem religiosissimum, se  
quotidie salutantem, eius imaginibus pia oscula  
quotidie figentem, resalutauit, & beauit!

Et dignissima profectò bona Domina nostris salutationibus, & rosarijs, quæ fuit tam liberalis, & quam etiàm legato Archangelo dignatus est Deus salutare.

Ergò diligenter quotidie *salutate Mariam, quæ multum laboravit in fratres.* 1. Cor. 16.

Pittacorum instar, in caueâ corporis huius positi, singulis momentis dicamus, illud Archangeli *Χαῖρε κεχαρισμένη Ave gratia plena.*

*Palea & mica.*

\* 1. *Visitatio Mariae*, admonet charitatis & visitandorum ægrotorum, pauperum, &c.

Iac. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, &c.*

Matthæi 25. *Infirmus fui, & non visitastis me. &c.*

D. Chrysoſtom, lib. 3. de Sacerdotio, sub finem.

Nisi quotidie Episcopus omnium domos circuierit, hæc in parte vel eos superans, quibus nullum aliud studium est, quam in foro versandi deambulandique; hinc continuo offensiones infinitæ emergent. Neque enim ij solum qui ægrotant, sed & qui sani sunt inuisi se volunt. Id quod, non religionis ac pietatis, sed honoris dignitatisque potius nomine plurimi sibi vendicant: ac si quem forte contigerit ex ditioribus potentioribusque Christianis, Ecclesie vsu lucroque communi ita vrgente, ab Episcopo frequentius inuisi, hic protinus Episcopus palpatoris atque adulatoris notam sibi inurit. Sed quid attinet patrocinandæ inuisendique partes hic persequi.

G *quum*

quum & sola appellationes salutationesque, quibus  
 piscopum vti oportet, tam magnum etiam criminat  
 num pondus afferant, & ut ille pondere ferendo ma  
 uetur, atque ad eò præ animi mœstitia plerumque  
 cumbat? ut nihil agam, quòd & ob oculos illò pot  
 quam illò comectos ad calculos vocare illum volu  
 Quæ enim ab Episcopo simpliciter fiunt, plerique ac  
 ratè ac diligenter excutiunt, pensitatâ etiam vocis  
 surâ, aspectus habitu, ac risus quantitate. Illi enim  
 quiunt, magnificè arrisit, eundemque tum hilariter  
 tum voce liberali salutauit: me verò longè parcius,  
 ut casus tulit: ac nisi multis vno in loco simul sedent  
 quoquoersus oculos ille circumtulit, omnes app  
 lans, id ipsum contumeliam esse vulgus dicit ant  
 igitur qui idem non sit admodum fortis, tam multa  
 cusatoribus sufficere poterit? ut vel ab illis  
 sùs non accusetur, vel accusatus crimen eff  
 at?

Cic. de Senect. Salutare, appeti, decedi, aff  
 deduci, consuli, &c.